

Forensibus Causis in utramque partem agitatis continentur. Hoc verò genus Exercitationis quanti sit ad germanam Eloquentiam præsidii; quantum habeat ad informandos studiosæ Juventutis animos pondus ac momentum, præfixa Declamationibus istis Præfatiuncula suo tempore & loco declarabit.

Jam quia Rhetoris officium non solis Orationibus informandis coercetur, sed ad quamcumque se extendit scribendi rationem, operæ pretium fuit, præscribere varias in scribendo leges, quas ipsa argumenti varietas induxit. Neque enim in exarandis Epistolis adhibendus Stylus idem, quem Orationis gravitas ac majestas postulat: neque Narratiuncularum Fabellarumque simplicitas graviorem aut Orationis aut Epistolæ Stylum admittit. Varietatem illam, cum Epistolæ, tum Fabellæ, quas Orationibus apposuimus, Præfationes demonstrabunt.

Denique is sæpe Rhetori labor incumbit, ut Disputationibus Philosophicis ac Theologicis aperiat aditum eorum commendatione, quos honoris gratia oppugnandos habet; vel ipse de Rhetore factus postmodum Philosophus aut Theologus propugnandas à se Theses, aliqua adornare Præfatiuncula meditetur. Sunt qui Magistratum adituri, aut adepturi Magisterii Lauream habilem, qua pollent, Oratoris manum ad demerendos suffragantium animos adhibendam existiment. Occurrunt occasiones plurimæ in quibus Viris quocumque gradu primariis gratulari necesse sit. Nos ad conclusionem prioris illius Voluminis præscribemus leges Oratiuncularum istarum. Item & rerum fontes, unde illæ conflare commodè possint, tum & exempla omnis generis, ex quibus formam mutuari liceat, ex fundulo nostro sufficiemus.



# RHETORICA

## AD TULLIANAM RATIONEM

EXACTA.

PRÆFATIO BREVIS.

*instituti Operis Designatio.*



Um ad bene orateque dicendum tota, Tullio teste, nata sit Rhetorica, cujus Præceptiones ad Tullianam rationem exactas tradituri sumus; supervacaneum putamus, pro brevitate instituti Operis, vel de illius natura, vel de necessariis ad eam assequendam cum corporis, tum Ingenii præsiidiis disputare. Imò neque eum, quem vulgò tenent Eloquentiæ Magistri, sequemur ordinem; ut de Inventione primùm, deinde de Dispositione

Partium, tum de Elocutione ejusdemque Amplificatione atque Ornatu tractemus. Nam cum acuendus sit statim & exercendus Candidatorum Rhetorum stylus, eam docendi viam duximus potiore, quæ à facilioribus ad difficiliora progredieretur. Quare in Oratione, quam ad informandam ornandamque Rhetorica potissimùm incumbit, spectabimus Primò Elocutionem, Secundò Amplificationem, Tertio Ornatum, Quarto Argumenta rationesque, quibus Oratio nititur. Denique Argumentationem, seu rationum atque argumentorum dilatationem.

Primum præstabis, cum artem informandi Periodos cujuscumque generis trademus. Alterum cum easdem amplificandi modum docebimus. Tertium, quod Ornatu continetur, ex tractatione Troporum ac Figurarum planum fiet. Quartum, quod Argumenta spectat, ex Locis tam intrinsicis, quam extrinsecis petitis eruemus. Denique argumentationis partes singulas easque dilatandi rationem, quod est in Rhetorica longè difficillimum, ex-

planabimus. Quæ verò Partes Orationis varias earumque dispositionem continent, nos, propter brevitatem, cui consultum volumus, ex Auctoribus bene multis, qui de Rhetorica copiosius scripserunt, cognoscenda relinquemus.

Verùm quia nihil tam juvat ad defigendas animis Præceptiones ipsas, quàm si exempla ad easdem accommodata subjiciantur; non satis habebimus illustria quæque Ciceronis loca, quibus Rhetoricæ præcepta defignantur, aut describere, aut saltem diligenter indicare, sed explicatis Præceptionibus singulis, unam & alteram Exercitationem adjiciemus, quæ eisdem utendi norma ac regula sit. Atque ut elucubrandæ Orationis artificium studiosam juventutem ne fugiat, brevem argumenti, secundùm leges traditas, informandi synopsis præmittemus.

Quoniam autem nobis proposuimus Ciceronem unum sequi ducem, & exactam ad Tullianas leges Rhetoricam promittimus, operæ pretium est de ratione ipsa legendi & imitandi Ciceronis pauca attexere. Quàm sunt enim qui Ciceronem evolvunt, multi; tam pauci, qui, quo pacto sit legendus & imitandus, sciant.

Sunt, qui nihil fere præter verba, & quosdam elocutionis modos, quos vulgò Phrasas vocant, annotent, ac bene multos ejusmodi, ubi sapius ac veluti per vim in Orationem intruserint, non possunt sibi temperare, quin egregiam Ciceronis imitationem sibi gratulentur. Atque hoc præsertim juvenile vitium est, & eorum, qui primis Rhetoricæ elementis vacant.

Alii itque doctiores id fere unum observant, quod ipsi dictioni subest, & Elocutionis ornatu neglecto, sententias duntaxat sensusque verborum confectantur.

Alii denique nihil aliud student, quàm ut ex Lectione Ciceroniana communes excerpant Locos, quos applicare deinde cuilibet argumento possint; quæ quidem exercitatio, licet utilissima sit, nondum tamen assequitur imitandi Ciceronis artem, quæ tria potissimum complectitur.

Primum. Ut orationis copulæ duntaxat, non autem ipsa verba, neque sensus, qui verbis subest, subtripiantur. Quòd si tibi Periodus occurrerit, cujus elocutio adeo sit opportuna, ut invenire ad rem tuam aptiorem non possis, eam poteris assumere, sed ea lege, ut alio, quàm posita est, ordine collocetur. Quod ut facias, alia tibi erit quærenda Periodus, cujus ad exemplum verba ipsa accommodentur. Atque hoc ipsum præstandum tibi est, quoties vel Sententiam aliquam Tullianam, vel Elocutionem aliquam orationi tuæ applicare volueris.

Secundum. Ut minus pateat, si quid in Periodo conficienda mutuatus è Cicerone fueris; satis erit tibi proponere unam aliquam Ciceronianam Periodum, cujus particulas aliquas, quæ vincienda orationi deserviunt, non omnes accipias.

Tertium, idque momenti non levis, in eo positum est, ut si causam agas in genere Judiciali, hoc est si accusandus aut defendendus aliquis, Periodos ac Figuras imiteris, quas in simili genere Causarum adhibuit Orator, potiùs quàm alias quascumque. Si quid in genere Deliberativo probandum suscipias, consulenda tibi erit Oratio pro Lege Manilia, quæ tota ad Deliberativum genus pertinet. Si Causam agas in genere Exornativo; consules Orationem pro M. Marcello, quæ Caji Cæsaris, vel eam partem Orationis pro Lege Manilia, quæ Pompeji Laudes complectitur.

Deni-

Denique si placet in aliquem vehementiùs invehi, leges Orationes in Verrem, in M. Antonium, in Pisonem, in Catilinam. Idque propterea moneo, quòd plerumque varia sint pro varietate causarum Orationis vincula, neque tam multa in accusando, quàm in defendendo aut delibetando requirantur. Quanquam quædam sunt magis communes Orationis commissuræ, quæ in omni causarum genere usurpantur.

Ut autem illa Ciceronis imitatio vitiosa non videatur, varianda est oratio Figuris; quod ut præstes, proponenda tibi erit una aut altera Ciceronis Oratio, in qua diligenter observes varia Figurarum lumina, quibus illustrare pariter propositam tibi Orationem possis.

## LIBER PRIMUS.

## De Elocutione Oratoria.

## CAPUT PRIMUM.

## De Periodo.

Quid est Elocutio Oratoria?

R. Est modus seu ratio loquendi ac scribendi Oratorum propria, quam stylum vocant.

Quænam est Elocutio Oratoris propria?

R. Debet esse 1. Numerosa, deinde ornata, denique accommodata rei de qua dicitur. Fit autem numerosa per Periodos, ornata per Figuras, denique accommodata per rationes & argumenta.

Quid est Periodus?

R. Periodus à Cicerone definitur in libro qui *Orator* inscribitur n. 207. *Oratio in quodam quasi orbe inclusa procurrens, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque Sententiis.* Hoc enim ipsum est quod Periodus sonat, quæ vox est Græca, \* nihil aliud significans, quam ambitum quemdam atque circuitum: quia Periodus est comprehensio verborum totam sententiam ab initio usque ad finem complectens.

Vox autem illa & significatio me-

raphorica est à Ludis Olympicis deducta, in quibus Quadrigæ à Carceribus ad Metam pergebant, eamque circumflectentes redibant deinde ad Carceres. Sic Periodus à priori sententiæ parte, quæ *Protasis* vocatur, ducitur ad partem sententiæ posteriorem, quæ appellatur *Apodosis*.

Huic explicationi congruit Aristotelica Periodi Definitio. Dicit enim, Periodum esse Orationem, quæ *initium habet & finem ex se se, & eam magnitudinem interjectam, quæ aspectabilis facile sit.*

Quares, quid sit habere initium & finem ex se se?

R. Initium illud vocatur ab Aristotele, post quod aliquid sequi sua sponte debet, quo semel posito, nihil ampliùs exquiritur. Neque enim Sententiæ quælibet habere initium & finem dicenda est, licet à quibusdam vocibus inchoetur & per alias voces desinat. v. g. Si dixeris; virtus multas habet & magnas illecebras. In hac sententiâ nullum initium aut finis agnoscitur, quia nihil debet sequi, neque quidquam aliud ultra expectatur. Si vero dixeris, cum virtus multas & magnas habet illecebras;

bras; tunc suspensus erit sensus, & expectabitur alia sententia, quæ prior sententiæ, & præmissæ particulæ, *Cum*, respondeat, absolvatque Periodum. v. g. *Cum* virtus multas & magnas habet illecebras, tum ab ea tam amanda quam confectanda quis temperare possit? Erit hæc vera ac germana Periodus, quæ habeat initium & finem, & ad leges Aristotelicæ Definitionis exacta sit.

Quid significant voces illæ, & *Magnitudinem interjectam, quæ aspectabilis facile sit.*

R. Designant spatium aliquod inter initium finemque Periodi interjectum, iustum illud quidem; ut & spiritum dicentis juvet, nec aurem audentis, aut longiori ambitu obruat, aut breviori fallat.

Eodem pœne recidit illa Phalerii definitio, qui dicit, Periodum esse continuationem quamdam Membrorum ac Commatum, ita inter se aptè & rotundè connexorum, ut plenam sententiam & conclusionem referant. Quare, secundum ipsius mentem, Periodus simillima est fornicibus, in quibus lapides ita aptantur inter se ac vincuntur, ut sese omnes quodammodo fulciant, & compagem unam, quam efficiunt, ab omni parte sustentent.

Tam egregiis Periodi Definitionibus aliam adjicimus, si magnificam minus, breviorē certè & fortasse clariorem.

Igitur quid est Periodus?

R. Est Oratio habens sensum & numerum perfectum.

Quot sunt partes Periodi?

R. Partes Periodi majores vocantur Cola, seu Membra. Minores Commata, seu Incisa.

Quid est Colum, seu Membrum?

R. Est Oratio habens sensum & numerum, sed utrumque imperfectum.

Quid est Comma seu Incisum?

R. Est Oratio habens sensum perfectum, sed nullum numerum, nisi Periodus ex multis incisus confletur, quæ simul composita numerum efficiant: v. g. *Nihil agis, nihil cogitas, nihil moliris, quod ego non videam planèque sentiam.*

Itaque Membrum cum Periodo convenit quidem, quod Oratio sit habens aliquem sensum ac numerum; disconvenit verò, quod sensus ac numerus, qui in Periodo perfectus est & absolutus, in membro suspensus & imperfectus inveniatur. Incisum autem habet hoc commune cum Periodo quod perfectum sensum habeat, ut patet in illa Oratione, *nihil agis*: differt ab eadem & à Membro pariter, quod omni numero propter Orationis brevitatē polietur.

Sit in exemplum illa Ciceroniana Periodus pro Marcello n. 19. quæ ex geminis membris coalescit. *Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas* (hæc oratio seu sententia prioris Membri rationem habet, in qua sensus est aliquis, ut patet, & numerus, propter aptam vocum singularum dispositionem, sed imperfectus uterque, donec altera pars Periodi, seu Membrum, quod sequitur advenerit) *ut hæc à virtute donata, cetera à fortuna commodata esse videantur.*

Ex dictis colliges tria esse dicendæ genera. Primò, Periodicè is dicit, qui ambitu finito Periodorum effert explanatque sententiam. Ita Cicero de Provinciis Consularibus n. 1. *Sed quis vestrum expectat, quas sum provincias decreturus, consideret ipse secum, quinam mihi homines ex provinciis potissimum detrahendi sint; non dubitabit quid me sentire conveniat, cum, quid mihi sentire necesse sit, cogitarit.*

Secundò Membratim, cum singulis Membris insitit Oratio, ut in Pisonem n. 56. *Audistis Philosophi vocem? Negavit se triumphi cupidum unquam fuisse. Cum extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas Tribunoplebis Consulatum tuum, Rempublicam evertebas, prodebas caput & salutem meam una mercè provincias, si triumphum non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arsisse defendes?*

Tertiò Incisum, cum oratio incisis constat, ut in Pisonem ibidem. *O scelus! o pestis! o labe!*

Et post Reditum in Senatu n. 13. *Cum hoc homine, an cum stipite, Æthiopye, si in foro constitisses, an crederes interesse? sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem, modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quam libidinosus! quam impurus! quam intemperans!* Interdum Membra Incisis miscentur; ut pro Archia n. 16. *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent. Delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Primum genus in usu est præsertim in Exordiis & in rebus gravioribus: posteriora duo adhibentur, cum Orator arguit & increpat aliquem.

## CAPUT II.

## De divisione Periodorum.

Pro numero & varietate Membrorum multiplex est ac varia Periodus. Aliæ enim, ut quidam volunt, unius membri est, quæ dicitur à Græcis *Μονόκωλον*, à voce *μόνος* solus, & altera voce *κόλον* membrum. Aliæ Bi-

Tom. I.

membris, sive *Δίκολος*. alia trium membrorum, sive *τρίκολος*; alia quatuor membrorum sive *τετρακόλον*.

Exemplum illud est. Periodi Bimembris lib. 1. de Oratore n. 31. *Quid tam est admirabile, quam ex infinita multitudine existere unum* (1. Membrum) *qui, id, quod omnibus natura sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit?* (2. Membrum)

Exemplum Periodi Trimembris habes pro Caelio n. 28. *Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus ætati* (1. Membrum) *& ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates;* (2. Membrum) *quæ si ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles & tolerabiles haberi solent.* (3. Membrum)

Exemplum Periodi Quadrimembris sufficit exordium pro Milone. *Etsi vereor, Judices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere;* (1. Membrum) *minimeque deceat, cum T. Annio Milo ipse magis de Reip. salute, quam de sua perturbetur, me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse;* (2. Membrum) *Tamen hæc novi judicii forma terret oculos,* (3. Membrum) *qui, quocumque inciderrint, veterem consuetudinem fori & pristinum morem judiciorum minime vident.* (4. Membrum)

Quæ vero Periodus quatuor membris admodum similibus & ejusdem fere magnitudinis constat, vocatur *Quadrata*; eadem quæ valde numerosa sit, *Rotunda* dicitur. Erit in exemplum Periodi hujuscemodi exordium pro Rabirio Perduelli. *Etsi, Quirites, non est mea consuetudinis initio dicendi rationem dicere, qua de causa quemque defendam.* (1. Membrum) *Propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi:*

A 3 (2. Mem-

( 2. Membrum ) *Tamen in hac defensione capitū, fama, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur esse officii mei;* ( 3. Membrum ) *propterea quod, quæ iustissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.* ( 4. Membrum ) Eiusdem naturæ est 1. Periodus de Provinciis Consul. jam laudata.

Quæ verò Periodus sic inter se disposita membra numerat, ut eodem manente sensu & orationis cœnitate pars prior Periodi, quæ *Protasis* dicitur, collocari possit loco posterioris; quæ appellatur *Apodosis*, & postrema membra fiant prima; vocatur *Decussata* à vocabulo *Decussis*; cuius figuram exhibet numerus major Denarii Romani: quæ figura sic est disposita, ut, si eam invertas, & partem imam ponas loco summæ, maneat tamen eadem figura & nota Numeri Denarii X. Talis est illa Periodus, quæ initio Orationis pro Cæcinnâ legitur. *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret;* ( *Protasis.* ) *Non minus in causa cederet Cæcinnâ Sex. Ebutii impudentiæ, quam tum in vi faciendâ cessit audaciæ.* ( *Apodosis* )

Nam si *Protasim* postponas *Apodosi*, seu duo priora membra posteriorum loco colloces, & duo posteriora vicissim priorem locum occupent, manebit idem sensus, qui prius. v. g.

Non minus in causa cederet Cæcinnâ Sex. Ebutii impudentiæ, quam tum in vi faciendâ cessit audaciæ; si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret.

Quod diximus superius ambitum Periodicum similem esse Quadrigis

procurrentibus à Carceribus ad Metas, & à Metis ad Carceres recurrentibus; tantò verius est, quòd Periodus, cuiuscumque generis illa sit, ex duabus tantum partibus componatur; quarum prior, quæ *Protasis* dicitur, itus; posterior, quæ vocatur *Apodosis*, reditus rationem habeat.

Has portò partes geminas facile deprehendere est in Bimembrio Periodo, cuius membrum prius *Protasim*, posterius *Apodosis* constituit. Item in Quadrimembrio, ubi duo priora Membra ad *Protasim*, duo posteriora ad *Apodosis* pertinent. At in Trimembrio Periodo, quæ tribus membris constat; Quæres 1. *Protasis* ne *Apodosi*, an *Apodosis* debeat esse productior *Protasi*; sive an duo Membra *Protasis* complecti debeat, *Apodosis* unum; an contra geminum in *Apodosi*, unum in *Protasi* magis conveniat membrum contineri?

R. Nullam dari posse certam super ea re regulam, cum apud Ciceronem in Trimembrio Periodo nunc *Protasis*, *Apodosi*, modò *Apodosis* *Protasi* inveniatur productior; At consulendum esse iudicium aurium, quo nihil est in hac arte sagacius.

Quæres 2. Quomodo discernere quis potest in Periodo Trimembrio, quot membra sibi *Protasis*, quot *Apodosis* vindicet?

R. Attendendum esse præsertim ad secundum Periodi Membrum, quod, si vinculo aut particula conjunctum aliqua cum primo membro inveniatur; tunc duo priora membra spectabunt *Protasim*; sin ab eo penitus solutum sit, tunc duo posteriora membra pertinebunt ad *Apodosis*. Hoc planum fiet ex sequentibus exemplis.

Primum petitur ab illa Periodo Trimembrio, quæ legitur pro Archia n. 14. *Nisi multorum præceptis multisque literis mihi ab Adolescentiâ,* sua-

*suavissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem;* ( 1. Membrum ) *in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda.* ( 2. Membrum ) ( *Protasis* ) *Numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem.* ( 3. Membrum ) *Apodosis.*

Hic pronum est observare particulam autem in 2. Membro positam habere vim connectendi secundum membrum cum primo, adeoque duo priora membra ad *Protasim* referri.

Secus accidit in exemplo sequenti, quod ab Oratione pro Quintio n.

26. depromptum est: ubi secundum Membrum, quia nullo vinculo connectitur cum primo, cœferi debet ad *Apodosis* pertinere.

Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitatis colitur; 1. Membrum ( *Protasis* ) *Neceesse est iste, qui amicum, socium, affinem fama & fortunis spoliare conatus est;* 2. Membrum *vanum se & perfidiosum & impium esse fateatur.* 3. Membrum, *Apodosis.*

Antequam progrediamur ulterius, operæ pretium est illustriores omnis generis è Cicerone Periodos aliquot proferre, quarum ad normam atque imitationem aliæ Periodi, pro ratione propositi nobis consilii, exigantur.

## CAPUT III.

Periodi ad Ciceronis Imitationem exacta.

## BIMEMBRES.

De Claris Oratoribus n. 7.

## SENTENTIA.

SENTENTIA CICERONIANA.

*Nunquam virtus probatur melius quam in adversis.*

*Nunquam plus valet boni civis auctoritas & oratio, quam belli tempore.*

*SI fuit in Republica tempus ullum, cum extorquere arma posset è manibus iratorum civium boni civis auctoritas & oratio, tum profecto fuit, cum patrocinium pacis exclusum est, aut errore hominum, aut timore.*

*SI est in vita tempus ullum cum probari possit viri fortis magnanimitas atque constantia, tum profecto est, cum fortunæ restantis æstum experitur, aut inimicorum injuria, aut amicorum infidelitate.*

## ALIA SENTENTIA.

*Nullum est tempus aptius ad induendam virtutem, quam adolescentiâ.*

*SI est in vita tempus ullum, cum institui facillè possunt ad virtutem hominum animi, tum profecto est, cum ætas flexilis ac cerea moderatoris manum non abnuit, aut pravitate cordis, aut morum corruptela.*

## CICERONIANÆ PERIODI.

*Libro 1. de Oratore n. 31.*

## SENTENTIA CICERONIANA.

Nihil est tam admirabile, quam virum aliquem infinitæ multitudi-  
ni dominari posse.

*Quid est tam mirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit?*

## ALIA SENTENTIA.

*Nihil admirabilius in Eloquentia; quam vis, qua pollet ad flectendos animos.*

Quid tam est admirabile inter cæteras Eloquentiæ dotes, quam existere vim illam, quæ, quod rerum omnium longe difficillimum est, hominum animos regere, & quamcumque in partem flectere possit?

*Pro Archia Poeta n. 1.*

## SENTENTIA CICERONIANA.

Archias Ciceroni Auctor fuit ad perdiscendas Artes liberales.

*Quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens; hunc video mihi Principem & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum existisse.*

nis in Galliæ ruinam atque exitium Europæ tota conjuraverit copiarum suarum robore ac numero confisa, sensit tandem aliquando tutissimum illam semper contra vim ac multitudinem in virtute sua præsidium habuisse.

*Pro Lege Manilia n. 1.*

## SENTENTIA CICERONIANA.

Plus Ciceronem deterruit initi ab adolescentiæ consilii ratio, ne in Senatu diceret; quam ipsa dicendi gloria & opportunitas illexit.

*Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus; hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatus est visus, Quirites; tamen hoc aditu Landis, qui*

## I M I T A T I O .

## SENTENTIA.

*Nihil laudabilius est in Principe viro-  
tore quam animum ad pacem  
adungere.*

Quid tam dignum est aut præsentium aut futurorum temporum præconio, quam in medio victoriæ cursu, quæ natura superba est atque insolens, existere virum Principem, qui propriæ laudis contemptor animum ad pacem ultrò ac volens adjungat?

## SENTENTIA.

*Cicero Artis Rhetorica Princeps fuit.*

Quàm curiosè quis velit perscrutari scripta Oratorum omnium, qui per singulas ætates floruerunt, vel ab ipsis nascentis Eloquentiæ temporibus inde usque repetens, Ciceronem intelliget, & in tradendis Rhetoricæ præceptis, & in iisdem exercendis Principem existisse.

## ALIA SENTENTIA.

*Sensit Europa nullo hostium robore aut multitudine opprimi Galliam posse.*

Quàm pertinaciter tot ab hinc annis in Galliæ ruinam atque exitium Europæ tota conjuraverit copiarum suarum robore ac numero confisa, sensit tandem aliquando tutissimum illam semper contra vim ac multitudinem in virtute sua præsidium habuisse.

## SENTENTIA.

*Non tam valere debet apud virum  
Principem vincendi cupido, quam  
amor Pacis.*

Quanquam plenum illecebris victoris nomen ex se se, hæc autem commendatio fortissimis quibusque jucundissima, ipsoque capitis periculo redimenda videri solet; tamen in tanta vincendi opportunitate, quanta viro Principi offerri possit, plus apud eum

## CICERONIANÆ PERIODI.

*Semper optimo cuique maxime patuit,  
non mea me voluntas, sed mea vitæ  
rationes ab ineunte ætate suscepta pro-  
hibuerunt.*

## I M I T A T I O .

eum rationes pacis, quam victoriæ cupido debent valere.

## ALIA SENTENTIA.

*Rerum à Ludovico Magno gestarum  
amplitudo plus Oratorem deterret,  
quam ubertas invitat.*

Quanquam præconem esse rerum à Ludovico Magno domi forisque gestarum longè honorificentissimum; hoc autem argumenti genus factorum ubertate optatissimum, victoriarum magnitudine præstantissimum videri potest, tamen in tanta dicendi copia ac varietate, in qua nemini oratio defuerit, plus ipsa operis dignitas & amplitudo prudentem Oratorem deterrere, quam copiosa dicendi seges invitare debet.

*Pro Marcello n. 19.*

## CICERONIANA SENTENTIA.

Laus vera unius virtutis merces est.

*Tantus est splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cetera à fortuna commodata esse videantur.*

## SENTENTIA.

*Unius Beatitudinis necessarius  
amor est.*

Tantas habet ex se se Beatitudo suavitates atque illecebras, tantam cum ipsa hominum indole necessitudinem, ut cæteris quidem rebus faciliè carere, ab illa confestanda temperare non posse videantur.

## ALIA SENTENTIA.

*Conscientiam malam nemo non execrari, bonam sectari nemo non debet.*

Tanta est inculpatæ mentis suavitas, tam graves conscientia malæ stimuli, ut hanc execrari penitus, illam expetere votis omnibus nemo non debeat.

*Pro Rabirio Perduelli n. 3.*

## SENTENTIA CICERONIANA.

Consulis officium cum officio Civium collatum.

*Si est boni Consulis, cum cuncta auxilia Reip. labefactari convellique viderit, ferre opem patriæ, consulere saluti fortunisque communibus, implorare Civium fidem, suam salutem posteriolem salute communi ducere: est etiam bonorum & fortium Civium, quales vos omnibus Reip. temporibus exististis, intercludere omnes seditio-  
num vias, munire præsidia Reip. summum in Consulibus imperium, summum in Senatu consilium putare.*

## SENTENTIA.

*Parentis officium cum officio Libero-  
rum comparatum.*

Si est boni Parentis, cum Liberos feliciter susceperit, informare statim ipsos ad virtutem, sufficere iisdem quotidiana rectè factorum incitamenta, liberalem educationem, vita ipsa, quam dedit, antiquiorem ducere: Bonorum quoque Libero-  
rum est, cum talem nacti fuerint Parentem, dociles afferre ad institutionem animos, insistere bonorum exemplis, vitam benè moratam quibuscumque fortunis anteferre.

ALIA

RHETORICA.  
ALIA SENTENTIA.

*Viri prudentis est, res adversas praevidere; fortis, cum adven-  
rint, patienter ferre.*

Sicut viri prudentis est; cum fortunam secundam habet, varios rerum eventus providere; declinare, si potest, casus ingrattissimos, & contra mala diligenter se munire; ita viri fortis est, cum quid adversum evenit, sortem alteram tanquam multo ante praevisioni excipere, gravissimas arumnas ferre patienter, & inter acerbissimas rerum humanarum tempestates fortunam meliorem expectare.

## TRIMEMBRES.

*Pro Archia Poeta n. 14.*

## CICERONIANA SENTENTIA.

Devovi caput meum multis periculis amore laudis & honestatis.

*Nisi multorum praeceptis multisque literis mihi ab adolescentia suavissem, nihil esse in vita magnopere expectandum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda; nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem.*

lo populis amicam pacis munus totis ambiri animis Ludovicus Magnus intellexisset, fuorumque utilitates atque commoda sua ipsius gloria duxisset antiquiora; nunquam profecto tot victoriarum suarum & rerum belle fluentium monumenta studio pacis devovisset.

*Pro Caelio n. 28.*

## CICERONIANA SENTENTIA.

Tolerantur in juventute cupiditates quaedam, si modum non excedant.

*Datur concessu omnium huic aliquis ludus aetatis, & ipsa natura profundit adolescentiae cupiditates, quae, si ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum everrant, faciles ac tolerabiles haberi solent.*

## ALIA SENTENTIA.

*Singulis aetatibus laudabiles Orationes exiterunt.*

Non est tam rarus, quam videtur ipse Tullius profiteri, Orationum numerus; & aetates singulae tulerunt viros ubertate atque elegantia dicendi eximios, qui si tales forte non fuerunt, ut summum Artis illius apicem adepti videantur, laudem certe aliquam eamque non vulgarem meruere.

Pro

## SENTENTIA.

*Peccant plerumque homines rerum aeternarum inconsiderantia.*

Nisi in media rerum caelestium luce miseri mortales plerumque caecutirent, negligerentque cogitare, dum peccant, brevem foedae voluptatis usuram poenarum aeternitate esse aliquando redimendam, nunquam se vitiorum illecebris aut vinci, aut demulceri paterentur.

## ALIA SENTENTIA.

*Ludovicus Magnus multa victoriarum monumenta studio pacis devovit.*

Nisi fatigatis jamdiu longiore bello

## SENTENTIA.

*Incultus animus nullam spem facit bonae frugis.*

Eget assidua diligentique cultura hominis cujusvis animus, &, ab ipsa statim adolescentia, mala quaedam cupiditatum semina profunduntur, quae nisi refecentur quamprimum, ac penitus evellantur, vix ullam bonae frugis patiuntur expectationem superesse.

## CICERONIANAE PERIODI

## IMITATIO.

*Pro Quintio n. 26.*

## SENTENTIA.

## CICERONIANA SENTENTIA.

Vanus ille, perfidiosus, impius, qui amicum, socium, affinem spoliare conatus est.

*Si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitatis colitur, necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se & perfidiosum esse fateatur.*

*Dignus omnium amore & benevolentia, qui propriam gloriam communi utilitati devovit.*

Si contemptu gloriae vera laus, amore benevolentia, beneficentia gratus animus comparatur, necesse est ille, qui propriam gloriam, studia,opes communibus populorum votis ac commodis devovit, laudem ab omnibus, benevolentiam & animi grati monumentum ferat.

## ALIA SENTENTIA.

*Qui contempto labore sectatur otium, is aut ignarus se, aut fovenda doctrina parum cupidum profiteatur.*

Si doctrina comparatur labore, fovetur studio, diligentia promovetur; necesse est, ut, qui vel perpetuo vixit in otio, vel prioris diligentiae peritus totum se inertiae permisit, is aut nullam doctrinae partem unquam adeptus, aut illius tuendae atque excolendae parum cupidus esse videatur.

*Pro Domo sua n. 1.*

## SENTENTIA CICERONIANA.

Sapienter institutum à Romani Imperii Moderatoribus, ut Pontifices & Religioni & Reipub. regendae praesent.

*Cum multa divinitus, Pontifices, à majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil praeclarior, quam quod vos eosdem & religionibus Deorum immortalium, & summae Reip. praesent voluerunt, ut amplissimi & clarissimi Cives, Reip. bene gerendo, Religiones sapienter interpretando, Reip. conservarent.*

## SENTENTIA.

*Sapienter constituta sunt virtutis praemia, & supplicia scelerum.*

Cum multa in omni Rep. laudabiliter inventa feliciterque instituta sunt, tum nihil praeclarior, quam quod virtuti praemia, supplicia scelerum proponerentur; ut boni mercedis expectatione, mali poenarum metu in officio continerentur.

## ALIA SENTENTIA.

*Prudenter provisum est in Romana Rep. ut in largiendis honoribus non tam nobilitatis, quam virtutis ratio haberetur.*

Cum ad tuendam Imperii Rom. dignitatem plenae singulari prudentia leges à Reipub. Moderatoribus constitutae sunt, tum illa certe praestantissima, quod in largiendis honoribus non tam generis, quam virtutis haberetur ratio, ut nobiles viri repulsa metu, ignobiles gloriae desiderio ad magna quaeque accenderentur.

QUA-

*Pro Milone n. 1.*SENTENTIA CICERONIANA.  
Timet Cicero dicere pro Milone, vel  
dum turpe est pro ipso di-  
centem timere.*Etsi vereor, Judices, ne turpe sit  
pro fortissimo viro dicere incipien-  
tem timere, minimeque deceat, cum  
T. Annius Milo ipse magis de Reip.  
salute, quam de sua perturbetur, me  
ad ejus causam parem animi magni-  
tudinem asserere non posse; tamen hac  
novi iudicii forma terret oculos, qui,  
quocumque inciderint, veterem con-  
suetudinem Fori, & pristinum morem  
iudiciorum non vident.*

## A L I A S E N T E N T I A .

*Tempus res omnium pretiosissima incautis atque otiantibus  
deperditur.*Etsi pretiosissimum quoddam est particula quæcumque temporis; nihil-  
que se offert rerum omnium, cuius jactura resarciri minùs ac reparari pos-  
sit: tamen vel ipsum totius vitæ tempus plerisque hominum deperditur in-  
cautis atque otiantibus, qui vel ignorare temporis pretium, vel non il-  
lud, ut par est, videntur satis æstimare.*Actioe 2. in Verrem n. 5.*SENTENTIA CICERONIANA.  
Fallere Verres potuisset, si quàm  
est audax, tam esset obscurus  
in agendo.*Si quàm audax est ad conandum  
Verres, tam esset obscurus in agendo,  
fortasse aliqua in re nos aliquando fe-  
fellisset; verùm hoc adhuc percommo-  
dè cadit, quòd cum incredibili ejus  
audacia singularis stultitia conjuncta  
est.*

## A L I A S E N T E N T I A .

*Stultorum natio si tacere posset, aliquam ferret sapientia laudem.*  
Si quàm est inepta ad loquendum quidpiam feliciter, tam esset solers ad  
tacendum stultorum hominum natio, aliquam fortasse sapientia laudem  
habere posset: verùm miserabili iporum fato ut plurimum contingit,  
quòd ad incredibilem iporum ineptiam insanabilis prurigo garrindi quid-  
libet accedit.

Pro

## S E N T E N T I A .

*Præcepta Rhetorica quantumvis diffi-  
cilia neminem eloquentia candi-  
datum debent detertere.*Etsi multa sunt in eloquentia  
studio, quæ primo aditu difficulta-  
tis nonnihil præ se ferant, ipsa-  
que adeo præceptorum multiplici-  
tas atque varietas totidem veluti  
loca sentibus aspera Rhetoricæ Can-  
didatis videri solent; tamen hæc  
eadem, qualiacumque sunt, docu-  
menta neminem dicendi cupidum  
debent detertere, quæ labore, usu  
atque exercitatione molliuntur.

## S E N T E N T I A .

*Non est metuendus hostis humani ge-  
neris, quia non est tam potens,  
quàm est attentus ad nostram  
perniciem.*Si quàm est ad perniciem nostram  
attentus, tam esset ad perficienda  
consilia potens hostis humani generis,  
perpetuum certè sanctissimis quibus-  
que viris metum incuteret; verùm  
hoc percommodè & magno nostrum  
omnium solatio cadit, quòd infinita  
ipius invidia cum incredibili imbe-  
cillitate conjuncta est.

C I C E R O N I A N A E P E R I O D I .

*Pro Rabirio Perduelli n. 1.*SENTENTIA CICERONIANA.  
Reddit rationem Cicero præter con-  
suetudinem cur defendat Ra-  
birium.*Etsi, Quirites, non est mea con-  
suetudinis initio dicendi rationem red-  
dere, qua de causa quemque defen-  
dam; propterea quòd omnibus Civi-  
bus in eorum periculis satis justam mi-  
hi causam necessitudinis esse duxi: ta-  
men in hac defensione capitis, fa-  
ma, fortunarum omnium Caji Rabi-  
rii proponenda ratio videtur officii  
mei; propterea quòd, qua justissima  
causa ad hunc defendendum esse visa  
est, eadem vobis ad absolvendum de-  
bet videri.*I M I T A T I O .  
S E N T E N T I A .*Res adverse ferenda sunt aequo animo,  
vel si durum illud est.*Etsi difficilioris cujusdam operæ  
est æquam semper in humanis rebus  
servare mentem; propterea quòd  
multa plerumque, ut vivitur, con-  
tra spem atque expectationem eveni-  
re solent; tamen vel ad ipsas rerum  
asperitates leniendas habenda est mo-  
deratio, propterea quòd, dum ferun-  
tur iniquius, fiunt ad ferendum gra-  
viores.

A L I A S E N T E N T I A .

*Vel inter gravissima studiorum fastidia  
adolescentes solatio non carent.*Etsi in comparandis liberalibus dis-  
ciplinis multa juvenum animi experi-  
ri fastidia solent, propterea quòd re-  
rum istarum cognitio longum assiduamque laborem exigit; tamen vel ipsas  
inter gravissimas studiorum molestias, suavissimo recreari solatio debent;  
propterea quòd improbo tandem labore difficillima quæque superantur.

## P E R I O D U S Q U A D R A T A E T R O T U N D A .

*De Provinciis Consul. n. 1.*SENTENTIA CICERONIANA.  
Facile quis intelliget, quas sit Pro-  
vincias Cicero decreturus, si co-  
gitarit, quinam homines ex Pro-  
vincia detrahendi sint.*Si quis vestrum expectat, quas sim  
Provincias decreturus, consideret ip-  
se secum, qui mihi homines ex Pro-  
vinciis potissimum detrahendi sint;  
non dubitabit quid me sentire conve-  
niat, cum quid me sentire necesse sit,  
considerarit.*

S E N T E N T I A .

*Intelligere quis potest ex sua in pau-  
peres humanitate, quam olim hu-  
manitatis partem apud Christum  
habiturus sit.*Si quis scire voluerit, quam voluit  
apud Christum mortalium omnium  
Judicem gratiam sit habiturus, cogi-  
tet ille secum, quam ipse gratia par-  
tem pauperibus & egenis impendere  
soleat; tunc facile intelliget qualem  
in supremo iudicio Christum exper-  
turus sit, cum in egenos & pauperes  
qualis existat ipse, cogitarit.

A L I A S E N T E N T I A .

*Non pigebit quempiam hujus vite labores ferre, qui remunerandos illos aser-  
vando cogitarit.*Si quis laborum asperitate, quibus consistit vita felicitis semita,  
ab eadem insistenda deterretur, reputet ille secum quantam bonorum am-  
plitudinem amatoribus suis possidendam Deus destinavit; tunc leves exi-  
stimabit laboris cujuscumque molestias, cum mercedis æternæ pretium,  
qua remunerabuntur illæ considerarit.

PERIO-

## PERIODUS DECUSSATA.

Pro Cæcinnâ n. 1.

SENTENTIA CICERONIANA.

Potuisse A. Cæcinnam tam cedere in Foro Sex. Ebutii impudentiæ, quam in agro cesserat audaciæ.

*Si quantum in agro locisque defertis audacia potest, tantum in Foro atque in iudiciis impudentia valeret; non minus in causa cederet A. Cæcinnæ Sex. Ebutii impudentiæ, quam in vi faciendâ cessit audaciæ.*

ALIA SENTENTIA.

Potuit Catilina tam prudentiâ suâ, quam auctoritate vincere Ciceronem.

Si quanta valuit ad conciliandos animos auctoritate Catilina, tanta ad dissimulandas molitiones nefarias prudentiâ valuisset; non minus in aver-tenda Reip. ruina Tullius cessisset civis exitiosi prudentiæ, quam in ejusdem perniciæ machinanda cesserat auctoritati.

*est vincitum, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum, ut pervagatum & vulgare videatur.*

## CAPUT IV.

De Venustate Periodi.

IN quo posita est venustas Periodi?

R. In tribus præcipuè rebus. In Numero, in Verbis, in Clausulis.

Quid est Numerus?

R. Numerus secundum Aristotelem est Rhythmus quidam exquisitus, non canorus, qualis est in poematis ac versibus, sed ita dissimulatus ac latens, ut sentiantur tamen ac jucundo sine concludatur.

Definitur aliter à Cicerone, Oratio constans partibus sonoris aurium iudicio rectè & æqualiter fluentibus. Quod spectat verò Numerum in Oratione adhibendum, hæc monet Tullius in Oratore ad Brutum n. 195. *Neque numerosa esse, ut poema; neque extra numerum, ut sermo vulgè est, debet Oratio. Alterum nimis*

SENTENTIA.

Potuit Alexander parem moderationis & fortitudinis laudem ferre.

Si quantam in expugnandis hostibus fortitudinem Alexander Magnus præ se tulit, tantam in privatiæ vitæ consuetudine moderationem animi exhibuisset; non minus Principibus viris ad exemplum proponeretur ejus moderatio, quam ad imitandum proponi solet ejus fortitudo.

ALIA SENTENTIA.

Potuit Catilina tam prudentiâ suâ, quam auctoritate vincere Ciceronem.

*est vincitum, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum, ut pervagatum & vulgare videatur.*

Quid spectandum in Verbis?

R. Hæ sunt in Verbis quærendæ virtutes. 1. Vis; ut si Parricidam dixeris pro nefario homine, sacrilegum pro fure. 2. Majestas, ut immensitas locorum, pro magnitudine. 3. Splendor, ut immensa camporum declivitates, pro declivi aliquo loco. 4. Vehementia, ut temporum procella, pro calamitatibus. 5. Epitheta & verba ficta ad contumeliam; ut gurges bonorum, furia patriæ, fax, tempestas, Reipub. Pectus. *Non enim nos color iste servilis, non pilosa gena, non dentes putridi deceperunt.* In Pisonem.

Quæ cavenda sunt vitia in verbis?

R. 1. Consonantium asperior commissura, ut Xerxis exercitus. 2. Syllabarum eandem repetitio, ut hunc timorem moremque perpetuò retinuit. 3. Crebra ejusdem votis repetitio. 4. Similitet cadentia.

5. Plu-

5. Plura monosyllaba. 6. Verba longiora, nisi hoc postulet Orationis tarditas. 7. Inepta verborum tractio.

Quid observandum in Clausulis?

R. 1. Supervacaneum est dicere de pedibus, qui vel initio, vel in medio Periodi usurpantur, hæc enim usus & lectio melius docebunt. 2. Quod spectat ad finem; Periodus verbo elegantius quam nomine clauditur. 3. Ejusmodi clausulis inseriunt vulgè sequentes pedes. Primus est, geminus Trochæus apud Ciceronem usitatissimus. v. g. *Consulatus, continebit, consequentur.* Secundus, geminus Spondæus, ut *infringendam.* Tertius Tribrachus & Spondæus, ut *prohibuerunt.* Quartus est Dactylus, maximè si præcesserit Jambus, ut *perhorresceret.*

## CAPUT V.

De Arte informanda Periodi & Membra, seu partes Periodi alias cum aliis connectendi.

IN quo consistit artificium Periodi?

R. In usu & dispositione Particularum, per quas Periodi sensus suspenditur & absolvitur. Nam particula quæque initio Periodi, sive Pro-tasi præposita, relativa est, & dicit ordinem ad aliam particulam, Apodosi præfigendam; quæ, nisi advenierit, perfectus & completus esse sensus non potest. Unde dices particulas illas esse in Periodo, quod sunt in ædificiis interruptis prominentes & salientes lapides, qui videntur alios expectare, quibus inserantur, & quibuscum unum opus perfectum & absolutum efficiant.

Quænam sunt illæ Particulæ?

R. Multiplicis generis recensentur.

Aliæ enim comparisonem in-stituunt, v. g. *Tantum, quantum, talis, qualis; eo major, quo; quemadmodum, sic.* Aliæ distributiæ sunt serviuntque enumerationi partium; v. g. *sive, aut, vel, neque,* bis aut ter repetita; *Primum, deinde, postremo, cum, tum.* Aliæ vocantur conditionales, v. g. *Si, siquidem, nisi.* Aliæ augentes, v. g. *Non solum, sed etiam; tam, adeo, ut.* Aliæ causales, v. g. *Quoniam, quandoquidem, cum.* Aliæ pugnantres, v. g. *Et si, quamvis, tamen.* Aliæ relativiæ, v. g. *Qui, quæ, quod; is, ea, id.* Hæ particule connectendis Periodi membris seu partibus deserviunt.

Quomodo Particularum illarum ope informari Periodus potest?

R. 1. Quærenda tibi sententia aliqua, quam extendas in Periodum. v. g. *Nihil in vita amico utilius.* 2. Vel rationem subjunges propositæ sententiæ, vel dilatabis tantum vocem illam, utile, hoc vel alio modo, *nihil tam naturæ aptum, tam conveniens ad vitæ societatem ac consuetudinem.* 3. Præposita particula causali, *Cum,* ut suspensus sensus esse possit, ita bimembrem Periodum efficiet. *Cum nihil est tam aptum naturæ, tam conveniens ad vitæ societatem, atque consuetudinem, quam amici benevolentia.* (1. Membrum) *Tum cordatus homo quisquis erit, illam rebus omnibus humanis anteponendam judicabit.* (2. Membrum.)

Sin subjungere statim propositæ sententiæ rationem volueris, istam v. g. quia *amicus secundas res lætiores facit, adversas leviores.* Sic Periodum bimembrem efformabis. *Cum nihil est & ad secundas res lætiores, & ad adversas leviores facendas tam potens quam amici benevolentia; tum cordatus homo quisquis erit,*



erit, illam rebus omnibus humanis facile anteponendam iudicabit.

Jam de Bimembri ut Trimembrem facias, dilatabis *Protasis* in duo membra, & beneficio particulae, *Ut*, posterius membrum junges cum priori, hoc modo. Cum ea est veri sincerique amici natura atque indoles, (1. Membrum) ut res secundas lætiores, adversas leviores efficiat (2. Membrum.) *Protasis* Quis tot inter ac tantas hujus vitæ varietates sine amici benevolentia vivere se posse arbitretur? (3. Membrum) *Apodosis*.

Denique ut Periodus quæ Trimembris est, fiat Quadrimembris, dilatanda *Apodosis* est per particulas comparativas, *tam, ut, vel tantum quantum*, v. g. Erit ne aliquis tam parum amicus sui, tam parum cupidus tranquillitatis ac pacis, ut tot inter ac tantas hujus vitæ varietates sine amici benevolentia vivere se posse arbitretur? vel Quanto difficilius opera videtur, æquam rebus in arduis pariter ac bonis servare mentem, tanto dulcior amicus ac jucundior censendus est.

Observabis ex dictis, geminam esse sententiæ in Periodum conformandæ rationem; aliam per solam dilatationem propositæ sententiæ. Ita Cicero Oratione 2. in Verrem sententiam illam: *Accidit tandem quod optabamus*. Sola dilatatione sic in Periodum Trimembrem fundit. *Quod erat optandum maxime, Judices*, (1. Membrum.) *Et quod unum ad invidiam vestri Ordinis, infamiamque judiciorum sedandam maxime pervinebat*, (2. Membrum.) *Protasis* id non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo Reipublicæ tempore videtur. (3. Membrum) *Apodosis*. Ubi patet totam Periodum nihil esse aliud, quam meram brevioris hujus sen-

tentiæ dilatationem, *Accidit tandem quod optabamus*.

Alia ratio est conformandæ sententiæ in Periodum, nimirum cum sententiæ aliqua ratio subjicitur. Sit in exemplum ista sententia: *Caput meum objeci multis periculis*. Cui Cicero pro Archia num. 14. hanc rationem adjicit, *quia nihil non ferendum esse duxi pro consecranda laude atque honestate*; & sic Periodum Trimembrem informat. *Nisi multorum præceptis multisque literis mihi ab adolescentia suavissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem*. (1. Membrum) *in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilii parvi esse ducenda*; (2. Membrum.) *Protasis*. *Nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem*. (3. Membrum) *Apodosis*.

Quoties autem propositæ sententiæ ratio subjicitur, hæc plerumque collocatur in *Protasi*, sententia verò ipsa in *Apodosi*.

Id porro ut planius fiat, laudatam modò sententiam cum subjecta ratione, scilicet, *nihil in vita amico utilius; quia lætiores facit res secundas, adversas leviores*, operæ pretium est in varias omnis generis Periodos ad imitationem Ciceronianam informare, ex quibus hoc etiam commodum exurget, ut quo pacto singulæ Particulæ adhiberi debeant, uno quasi intuitu liceat observare. Ipsas verò Ciceronis Periodos non hic describimus, quia jam descriptæ sunt in Capite tertio, Satis erit Orationes, & Numerum, ubi leguntur, indicare.

PE.

## PERIODI BIMEMBRES.

Quod in secundis rebus dulcissimum, in adversis multo optatissimum est, id in amici veri sincerique benevolentia invenitur.

Quamquam difficultatibus plurimis vita mortalis obnoxia, in bonis autem & in arduis rebus rara æqualitas animi videri potest; His tamen omnibus incommodis non certum modò in amici benevolentia remedium, sed etiam suavissimum vitæ solatium offertur.

Quid est tam expetendum in vita, quàm in secundis pariter & adversis rebus habere eum, qui has leviores, illas jucundiores efficiat?

## T R I M E M B R E S .

Cum ad leniendas mortalis vitæ molestias multa nobis præsidia non desunt, tum certè nullum eo majus, quod in amici sinceri fidelisque benevolentia proponitur, qui res secundas lætiores, adversas leviores efficit.

Quod erat ad suavissimum hujus vitæ solatium expetendum maxime, & quod ad ferendam æquo animo fortis utriusque conditionem inprimis juvare poterat; id nobis in jucundissima veri sincerique amici consuetudine, singulari divinæ Providentiæ beneficio oblatum datumque gratulamur.

Nisi tot inter tamque varias, quibus vita hominum obnoxia est, miserias dulcissimum in amicis solatium haberetur, in iisque presentissimum adversus utriusque sortis incommoda remedium occurreret; quem demum, quantumvis cupidus vitæ videretur, longioris avi non pigeret?

Datur vel inter gravissimas vitæ  
*Le Jay, Tom. I.*

hujus ærumnas suavissimum in amicis solatium; & illi tam lætas blandientis fortunæ vices, tam ferendos restantis ejusdem casus reddere solent, ut, sin minus jucunda ex omni parte vita, tolerabilis saltem videri possit.

Si res asperas mitiores, lætas jucundiores, vitam totam æquiores verus ac fidelis amicus facit; necesse est profectò, ut, qui in tanta hujus vitæ varietate de comparanda amici benevolentia curandum sibi non arbitrat, is neque in adversis solatium, neque in prosperis jucunditatem, neque in omni vitæ parte tranquillitatem habere velit.

## Q U A D R I M E M B R E S .

Esti difficilius operæ videtur æquam in varia sortis utriusque conditione mentem retinere; multosque reperire est, cum iniquioris fortunæ telis restitissent, ejusdem illecebris fuisse superatos; Tamen certissimum adversus difficultates ejusmodi subsidium semper invenias in amico fidei, qui & patientiam in adversis, & in prosperis moderationem suadere possit.

Si quis nosse velit, quàm necessaria sit inter tantas hujus vitæ varietates fidelis amici societas, consideret ille secum, quantum in utraque sorte juvare amicus possit; tum certè non dubitabit quantum in amico parando debeat operam ponere, cum sine tali præsidio vix ferendam æqualiter cum prosperæ, tum adversæ fortunæ conditionem esse intellexerit.

## D E C U S S A T A .

Si quantum ad mitigandas molliendasque res adversas amicus potest, tantum ad temperandas ab insolenti

B læ-

Pro Archia n. 1. Per Particulas Relativas Quod, Id. Pro Lege Manilia n. 1. Per Particulas pugnantes Quamquam, Tamen. Lib. 1. de Oratore num. 31. Per Particulas Relativas Is, Qui. Pro Domino suo ad Pontifices num. 1. Per Particulas Distributivas Cum. Tum. 2. Oratione in Verrem n. 1. Per Particulas Relativas Id, Quod. Pro Archianam. 34. Per Particulam Conditionalem Nisi.

Pro Cælio n. 28. Per Particulas Augentes Tam, ut.

Pro Quintio num. 26. Per Particulam Conditionalem Si, & Relativas It, Qui. Pro Milone n. 1. Per Particulas Pugnantes Est, Tamen.

De Provinciis Consulibus n. 1. Per Particulam Conditionalem Si, & Distributivas Cum. Tum.

Pro Cæcina n. 1. Per Particulas

latitia res secundas valet; non minùs quærendus est amicus in prosperis ad servandam moderationem, quàm in adversis comparari solet ad retinendam patientiam.

Quæ sequuntur in idem argumentum Periodi, etsi ad Tullianam imitationem exactæ omnino non sunt, tamen docebunt usum aliarum Particularum.

Quàm suave est in adversa sorte solatium, in prospera lætitiâ experiri; Tam sedulò fidelis sincerique amici benevolentia videtur esse comparanda.

Sive blandientem suaviter votisque aspirantem omnibus sortem experire, sive sævientem immisericorditer & resstantem perpetuò fortunam feràs; in utraque vitæ conditione tam dispari, studio tamen pari, parique diligentia fidelis amici consuetudo conquirenda est.

Tot ac tanta ex dulci fidelis amici commercio, tam in prosperis quàm in adversis oriri commoda solent, ut, sine paratissimo semper hujuscemodi præsidio, amara prorsus & acerbata videri possit.

Quemadmodum ventis tam æquam quàm sinistram in partem spirantibus peritissimi Moderatoris prudentia navigium eget; sic secundis pariter atque adversis in rebus veri sincerique amici commercio humana vita carere non potest.

Aliud statuamus exemplum in illa sententia, quæ rationem adiunctam habet. *Difficile est assentationibus aures occludere; quia homines vulgò se amant.* Illa poterit in Periodos pariter informari ad Ciceronis imitationem.

## B I M E M B R E S.

Quid esset tam novum tamque insolens, quàm in tanta amantium

plus æquo sui hominum multitudine repetire unum aliquem, qui, quod cæteri tantopere ambiunt, nullum prædicationi laudum suarum locum esse patiatur.

Qui maturè perpenderit, quàm sit amans sui indoles hominum, per omnes ætatis flexus & varias vitæ conditiones volvens oculos; is mirari desinet, plerosque & merito rerum suarum præconio, & putidis etiam assentationibus nonnunquam delectari.

Quanquam plenas fucò atque fallaciâ adulatorum laudes, & illas non tam ad veritatem, quàm ad voluptatem instructas esse nemo non sentit; Tamen, ne declinentur eorum illecebræ, non solers modò istorum hominum industria, sed etiam multo magis insitus unicuique suimetipsum amor prohibere solet.

## T R I M E M B R E S.

Nisi erudita semper ad omne blanditiarum genus esset adulatorum natio, & ad mulcendum eum, qui singulis hominum innatus est, amorem fingeret se totam atque accommodaret, non tam operosum videretur ab eorum insidiis declinare.

Quod est ad conciliandos animos potentissimum, & quod ad pertentandum suaviter eum, quo se quisque prosequitur, amorem plurimum posse videtur; hoc adulantum natio solertissima non apertè quidem, sed clam & per cuniculos solet adhibere.

Cùm res est planè difficilis, assentatorum vocibus aures occludere, tum cerrè tanto id operosum magis, quod illi mollibus illecebris amantem sui plus æquo hominum indolem demulcere solent; ut, qui ab amando se se non possunt, neque ab excipiendis ultro adulationibus valeant temperare.

Ma-

Per Particulas Relativas.

Pro Archia n. 1. Per eadem Particulas.

Pro Lega Manilia num. 1. Per Particulas Pugnantes Quamquam Tamen.

Pro Archia n. 14. Per Particulam Conditionalem Nisi.

Oratione 2. in Verrem n. 7. Per Particulas Relativas id, Quod.

Pro Domino suo ad Pontifices n. 1. Per Particulas Distributivas Tum, Cum.

Magnam habent homines ad amandos se se propensionem, & solers adulatorum genus sic insitum unicuique sui ipsius amorem palpate novit, ut assentationibus aures occludere, singulare quoddam modesti ac temperantis viri specimen videri soleat.

Si condita mollibus illecebris, & ad uniuscujusque sensum voluntatemque comparata solet esse omnis adulatio, necesse est profectò, ut, qui laudis est amans plus æquo, & permulceri sensus suos lubentiùs patitur, is ab audiendis adulatorum vocibus temperare sibi non possit.

## QUADRIMEMBRES.

Etsi nemo pæne est qui nesciat adulatorum gentem totam esse ad fallendum decipiendumque compositam, nihilque contingere solet viro liberali ingratum magis quàm illudi; tamen molles blandientium illecebræ vel ipsos permulcent sapientissimorum hominum animos, qui contra tam amabiles insidias vix ac ne vix quidem tueri se possunt.

Si quis fortè mirabitur unde tam ægrè homines, quotquot sunt, assentationibus aures occludant, attendat ille secum, quàm pauci ab amandis semetipsis valeant temperare; tunc facillè intelliget quàm ultro sibi, quisquis est, adulari patitur, cum adulantum nationem totam esse ad mulcendum amorem proprium comparatam perspexerit.

## D E C U S S A T A.

Si quàm est amans sui hominum indoles, tam est comparata ad mulcendam amorem illum omnis adulatio, non minùs quis potest ab excipiendis ultro assentationibus temperare, quàm ab amando semetipso potest idem abstinere.

Quemadmodum mare Siculum olim navigantibus singularis cuiusdam prudentiæ fuit, insidiosis Sirenum cantibus aures occludere; sic in hac vitæ consuetudine, quæ adlantum multitudine infesta est, eorum lenociniis non permulceri perfecta consummataque sapientia est.

Si cui fortè prolixiores fuisse videbimur in exemplis proferendis; ignoscat tamen rem illam apertior rem facere volentibus, quam præceptionum omnium, quæ traduntur in Rhetorica, longè difficillimam Candidati experiuntur, cum ad usum atque exercitationem revocanda est.

## C A P U T VI.

De Ratione Periodos alias cum aliis connectendi.

Edimus de Particulis, quibus membra cum membris vincuntur, & ipsa Periodi conformatio constat; nunc agendum de vinculis, quibus Periodi ipsæ, aliæ cum aliis connectuntur, sive de variis Orationis nexibus. Quæres ergo.

Quanam sunt particulae, per quas Periodi cum Periodis junguntur? R. Hæ præsertim adhibentur, atque ego quidem, & verò, at enim, quæ cum ita sint, itaque, nam, cum, ad primò quidem, enim verò, neque verò, quin etiam, igitur, ergo, quid quod, adde quod, accedit & illud, & aliæ multæ, quas usus frequens ac lectio docebunt.

Atque ut Præceptum istud exemplorum appositione non careat, proponenda sunt ad imitationem quædam Ciceronis exordia quæ tota ferè Periodis constant: in quibus licet it observare, quinam nexu vincuntur

B 2 Ora-

Quam, non Minus, Quam, Per Particulas Comparativas Quemadmodum, sic.

Conditionales Si, & Comparativas Tantum, Quantum, non Minus, Quam.

Per Particulas Comparativas Quam, Tam.

Per Particulam Distributivam Sive, repetitam.

Per Particulas Augentes Tam, ut.

Per Particulas Comparativas Quemadmodum, sic.

Lib. 1. de Orat. n. 31.

Pro Cœlio n. 28. Per Particulas Augentes Sic, ut.

Pro Quintio num. 26. Per Particulam Conditionalem Si, & Relativas Itaque, Qui.

Pro Milone n. 1. Per Particulas Pugnantes Et si, Tamen.

De Provinciis Consularibus n. 1. Per Particulam Conditionalem Si.

Pro Cæcina n. 1. Per Particulam Conditionalem Si, & Particulas Comparativas Tam.

Orationi inserviant. Porro ad majorem cognoscendam Artis facilitatem, non describemus modò Ciceronis locum, cujus ad normam exigenda imitatio sit, sed brevem ejusdem Synopsim præfigemus.

## CICERONIANUM EXORD.

*Pro Rabirio Perduelli.*

## SYNOPSIS CICERONIANA.

Cicero Judices adhortatur ad absolvendum Rabirium.

1. **R**edit rationem Cicero, cur Rabirium defendat, licet non soleat illud facere. Periodus Quadrimestris.

2. Dicit Cicero cum sua in Rabirium benevolentia, tum salute Reipub. impelli se, ad suscipiendam ipsius defensionem. Periodus Bimestris.

3. Dicit Cicero: sicut est Consul succurrere Reip. periclitanti; ita Civium est Consulem in eo præstando adjuvare. Periodus Bimestris.

4. Dicit Cicero: In me labor, in Senatu debet esse studium in defendendo Rabirio. Periodus Bimestris.

## ORATIO.

*Etsi, Quirites, non est mea consuetudinis rationem reddere, qua de causa quemque defendam; propterea quòd, cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi; Tamen in hac defensione capitis, fame, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur esse officii mei, propterea quòd, quæ justissima mihi causa ad hunc defendendum visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.*

*Nam me cum amicitia vetustas, tum hominis dignitas, tum ratio humanitatis, tum mea vita perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata; Tum vero, ut id studiosissime facerem, salus Reipublicæ, Consulare officium, Consulatus denique ipse, mihi non vobiscum cum salute Reipublicæ commendatus coegit....*

*Quamobrem si est boni Consulis, cum*

## IMITATIO.

*Blanca Ludovico Filio Gallici & Imperii habenas moderandas tradit.*

## SYNOPSIS IMITATIONIS.

Blanca filium adhortatur ad moderandum ritè Imperium.

1. **B**lanca Filium suum admonet, etsi non videtur ille egere Præceptionibus.

2. Dicit Blanca; cum multa solent obescere viros Principes, tum requiri multas virtutes ad declinandum hoc incommodum.

3. Dicit Blanca; sicut exhibuisti adolescentem virtutes hujus ætatis proprias; ita Rex constitutus debes præ te ferre virtutes regias.

4. Dicit Blanca; tibi gloriosum erit Regio muneri satisfacisse, mihi non indecorum te instituisse.

*Etsi, Fili charissime, novi satis non egere te maternis præceptionibus ad peragenda diligenter quæ sunt officii tui; propterea quòd innata virtutis æmulatione, quidquid est cum laude conjunctum ultro confectaris; Tamen in hoc rerum flexu, quo moderandas magni Imperii habenas suscipis, te præmonendum putavi, propterea quòd, quanto sublimior est locus ille quem capestis, tanto periculiosior debet videri.*

*Nam cum dignitatis Regiæ majestatis, populorum admiratio, deliciarum illecebræ, rerum omnium copia viros Principes in hoc fortis apice constitutos occurrere plerumque solent; tum, ut declinare tam graves scopulos valeant, animus de se modestè sentiens, continentia singularis, comis humanitas, egregius rerum humanarum contemptus requiruntur.*

*cuncta Reip. auxilia labefactari convellique viderit, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriolem salute omnium ducere; est etiam honorum & fortium civium, quales vos omnibus Reip. temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reip. summum in Consulibus imperium, summum in Senatu consilium putare....*

*Quamobrem labor in hoc defendendo præcipue meus est; studium verè conservandi hominis commune mihi vobiscum esse debet.*

## EXORD. CICERONIANUM

*Pro Lege Manilia.*

## SYNOPSIS CICERONIANA.

1. **D**icit Cicero deterritum se fuisse ab agendis Reip. causis, non voluntate sua, sed susceptis vitæ rationibus. Periodus Bimestris.

2. Dicit Cicero, cum sit tenuisatis sue conscius, & noverit nihil nisi perfectum afferri oportere, maluisse se aliis rebus vacare. Periodus Trimestris.

3. Dicit Cicero, non desuturos qui agant in Senatu, futurumque, ut ipse cum aliqua amicorum utilitate & gloria pergat in instituto vivendi more. Periodus Bimestris.

4. Dicit Cicero ex collato sibi Prætoris Munere se intellexisse, quas sibi Populus Rom. quas aliis partes injungeret. Periodus Trimestris.

## ORATIO.

*Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites; Tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed mea vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt.*

*Nam cum antea per ætatem nondum*

*Tom. I.*

*Quamobrem si tuarum esse partium æstimasti, dum sub disciplina matris adolesceres, ingenuum morum candorem, docilitatem mentis, pietatem in Parentes exhibere; mox, cum evectus ad solium fueris, virtutes regias, fidem incorruptam, humanitatem in tuos, æquitatem in omnes debes præ te ferre.*

*Ita gloriosum erit tibi muneri Regio, populorum votis, Parentis expectationi satisfacisse, mihi verò non erit indecorum vitam tibi, institutionem bonam, Regnum ipsum impertivisse.*

## IMITATIO.

*Negat Cicero audiendum esse de Pace Antonium.*

## SYNOPSIS IMITATIONIS.

1. **D**icit Cicero deterreri se ab accipienda pace quam offert Antonius, non amore belli, sed Reipublicæ gloria & salute.

2. Dicit Cicero, cum noverit quid sit è Reip. commodo, & prævideat Pacem Reip. turpem & damnosam fore, illam esse bello postponendam.

3. Dicit Cicero, non desuturos qui bellum feliciter conficiant, futurumque, ut partem meliori fato pacem sibi omnes aliquando gratulentur.

4. Dicit Cicero, cum natura sua cupidus rixarum Antonius pacem peteret, diffidere eum viribus suis & à virtute Populi Romani sibi metuere.

*Quamquam suavissimum semper Pacis nomen; hanc autem saluberrimam huic Urbi, Populo Romano longè optatissimam esse duxi, P. C. Tamen ad rejiciendam hodie, quam obrulit Pacem Antonius, non me intempestiva quadam cupido belli, sed Reip. gloria cum ejusdem utilitate conjuncta permovet.*

B 3 Nam

hujus auctoritatem loci contingere au-  
derem ; statueremque nihil hic , nisi  
perfectum ingenio , elaboratum indu-  
stria afferrè oportere ; omne meum  
tempus amicorum temporibus trans-  
mittendum putavi .

Ita neque hic locus vacuus unquam ab  
iis , qui vestram causam defenderent ;  
& meus labor in amicorum periculis ca-  
stè integrèque versatus , ex vestro judi-  
cio fructum est amplissimum consecutus .

Nam cum propter dilationem Comi-  
tiorum ter Praetor primus cunctis Cen-  
turiis renunciatus sum , facile intellexi ,  
Quirites , & quid de me judicaretis , &  
quid aliis faciendum prescriberetis .  
tandem ad Pacem adjecerit , facilè potestis intelligere , Quirites , & quàm  
parùm rebus confidat suis , & quantum à vestra virtute sibi metuendum  
arbitretur .

Nam cum longa temporum expe-  
rientia didicerim , quid ad Reip.  
commoda maximè pertineat , intelli-  
gamque oblatas ab Antonio condi-  
tiones Pacis turpes ac perniciosas fo-  
re ; illam gravissimo quocumque bel-  
lo magis metuendam esse non dubi-  
tem profiteri .

Ita neque deerunt in hac civitate  
clarissimi fortissimique Cives , qui  
bellum istud optata postmodum victo-  
ria perficiant , & partam meliori fato  
tranquillitatem licebit nobis aliquan-  
do gratulari .

Nam cum turbarum amans rixa-  
rumque cupidus Antonius animum  
rumque cupidus Antonius animum  
tandem ad Pacem adjecerit , facilè potestis intelligere , Quirites , & quàm  
parùm rebus confidat suis , & quantum à vestra virtute sibi metuendum  
arbitretur .

CICERONIANUM EXORD.

IMITATIO.

Oratione secunda in Verrem .

Juditha redux ad Betulienses amputa-  
to Holophernis capite .

SYNOPSIS CICERONIANA.

SYNOPSIS IMITATIONIS.

- 1. Dicit Cicero accidisse illud quod erat  
optandum maximè Reip. & ipsius  
plurimum intererat . Period. Trimemb.
- 2. Dicit inveterasse opinionem illam , ho-  
minem divitem non posse condemnari . Pe-  
riod. Trimemb.
- 3. Dicit in tanto discrimine adductum esse  
Verrem in judicium . Period. Bimemb.
- 4. Dicit se Actorem huic causa accessis-  
se , ut Senatus existimationi consuleret . Pe-  
riodus Trimemb.

- 1. Dicit Juditha perfectum illud esse,  
quod neque tentare , neque spe-  
rare licebat .
- 2. Dicit sic interclusos fuisse omnes ad-  
itus Holophernis exercitu , ut arceri ma-  
lum non valeret .
- 3. Dicit in magno omnium metu Impe-  
rio & vita spoliatum fuisse Holophernem .
- 4. Dicit exhibere se spectandum Holopher-  
nis caput , ut gratias Deo populus referat .

O R A T I O .

Quod erat optandum maximè ; Judi-  
ces , & quod unum ad invidiam vestri  
Ordinis infamiamque Judiciorum se-  
dandam maximè pertinebat ; id non  
humano consilio , sed propè divinitus  
datum atque oblatum vobis summo Reip.  
tempore videtur .

Inveteravit enim jam opinio perni-  
tiosa Reip. vobisque periculosa , quae non  
modo Roma , sed & apud exterarum Natio-

Quod neque humanis viribus ten-  
tari posse videbatur , neque in miser-  
rimis rerum nostrarum angustiis spe-  
rare fas erat , Cives amantissimi ; id  
hodie non armorum vi , aut mili-  
tum numero , sed imbelli foeminae  
unius manu perfectum absolutum-  
que putatote .

Imminebant enim nostris mœnibus  
cum robore , tum multitudine ipsa  
me-

nes omnium sermone percrebuit , his  
judiciis , quae nunc sint , pecuniosum  
hominem , quamvis sit nocens , nemi-  
nem posse damnari .

Nunc in ipso discrimine Ordinis ju-  
diciorumque vestrorum , cum sint pa-  
rati , qui concionibus & legibus hanc  
invidiam Senatus inflammare conen-  
tur , reus in judicium adductus est  
C. Verres , homo vita atque factis  
omnium jam opinione damnatus , pe-  
cunia magnitudine , sua & spe ac  
predicatione absolutus .

Huic ego cause , Judices , cum sum-  
ma voluntate & expectatione Populi  
Rom. Actor accessi , non ut invidiam  
augerem Ordinis , sed ut infamiae  
communi succurrerem .

Ad absolutionem hujus Articuli subjicimus Oratiunculam ex quatuor  
Periodis constatam quae referant imitatione Ciceronianas Periodos ex va-  
riis Orationibus depromptas .

CREUSA AD AENEAM

Cum incensa Troja ad propulsandum  
commune excidium se se armis  
accingeret .

S Y N O P S I S .

Exord. Dicit Creusa addere se moram  
unã cum filio festinanti Aeneae  
ad servandam Trojam , licet intelligat  
quantum in ipso praesidium communis sa-  
lus habeat .

Propositio . Neminem fore , apud quem  
ipsa ejusque filius patrociniū inveniunt ,  
si fortuna pergat adversari .

Confirmatio . Dicit non sibi minus animi  
fore ad procurandam patriae salutem , quàm  
ipse praese ferret ; si , quantam mover fidu-  
ciam ipsius magnanimitas , tantam praesens  
rerum status expectationem suscitaret .

Complexio . Dicit si fuit olim fortis Civis  
patriam tueri quocumque periculo , cum  
spes affulgeret aliqua , jam esse boni pa-  
rentis & conjugis domum tueri .

O R A T I O .

Et si satis intelligo , Conjug amari-  
tissime , quàm certum ad hanc usque  
diem praesidium in te communis salus

metuendae Holophernis copiae , quae  
non regionem modò totam , sed in-  
terclusos omnes aditus sic obside-  
bant , ut vel ruinam Urbis , vel praesens  
Civium capitibus arceri malum  
non liceret .

Nunc in tanta omnium trepida-  
tione , cum ad perficiendum detesta-  
bile consilium superbus hostis acce-  
deret , debitas temeritati suae pœ-  
nas dedit Imperio pariter ac vita  
spoliatus .

Hujus ego caput hac ipsa recisum à  
cervicibus manu spectandum vobis  
exhibeo , Cives amantissimi , non ut  
insultetis tristibus hominis impii reli-  
quiis , sed ut amplissimas , ut par est ,  
omnipotenti Deo gratias referatis .

habuerit , neminemque video praeter  
Aeneam , qui praesentius ruenti pa-  
triae afferre remedium possit , patere  
tamen , ut festinanti tibi ad servan-  
dam Trojam moras adjiciant mœrens  
uxor & infortunatus filius ; qui vi-  
tam fortunaeque suas tui unius in  
salute collocatas habent .

Nam si fatorum vis inimica , nobis ,  
uti fecit hactenus , pergat adversari ;  
teque spem gentis unicam & afflictae  
domus solatium eripiat , apud quem  
denaum in supremo rerum nostra-  
rum discrimine opem patrociniū-  
que inveniemus ?

Equidem si quantam nobis affert  
animi tui magnanimitas fiduciam ,  
tantam hodiernus rerum status fortu-  
nae melioris moveret expectationem ;  
Non minùs ego te ad propulsandum  
miseræ urbis excidium adhortarer ,  
quàm ab eadem frustra defendenda  
conor detertere .

Verùm si fuit olim fortissimi Civis ,  
cum spes averrendae ruinae aliqua su-  
peresset , opitulati laboranti patriae ,  
B 4 nul-

Pro Mito  
de n. i. Esti  
vercor,  
&c. Pe-  
riod.  
Quadr.

Pro lege  
Manil. n.  
Nam  
cum an-  
tea &c.  
Period.  
Trim.

Pro Cae-  
cinnæ n.  
si quan-  
tum in a-  
gro , &c.  
Period.  
Quadr.  
Decussa-  
ta .

Pro Rabi-  
rio Perd.  
n. j.  
Quamob-  
rem , si  
est boni.